



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistratevs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Cap. III. Necessitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

Necessitas.

Porrò Iudiciorum necessitatem attulit societas humana, rerum negotiorumque communio, discordiarum seminarium. Ideo *Magistratus*, inquit *Quintil. declam. 15.* legesque à maioribus accepimus, ne sui quisque doloris vindex sit. & *Honorius & Theodosius in l. 14. C. de Iudicis*, Iudiciorum, inquit, vigor, iurisque publici tutela in medio est constituta, ut nemo sibi ipse valeat permittere ultionem: nec quis id quod deberi sibi putat, aliter quam per Iudicem reposcat. *l. 13. D. quod metū. l. 17. C. unde vi. Iudicia quasi veetes urbium, Prou. 18.* iis concluditur securitas humanæ societatis. Enimuerò leges quidem urbis animam à *Cicerone*, anchoram à *Solone* dictam scimus: tamen parum est, inquit *Pomp. in l. 2. §. post originē D. de orig. jur. ius in ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possunt; per eos enim, qui iudicando præsumunt, effectus rei accipitur. ut verè Arist. l. 6. Polit. c. 8. & Cicero l. 3.* afferuerit opus esse Magistratibus, quòd sine illis ciuitas rectè constitui nò possit. *Iustitia* quippe sine persona subministra non agit. & ideo sine Magistratu *Iustitia* sepulta esse appositè dicitur à *Bald. cons. 118. col. 2. in fine l. 3.* & pulchrè ille: *Fortis est lex si Principem habet. vbi enim Iustitia, eaq; ritè exercita non est, societas humana consistere nequit. ut rectè disputat apud Ciceronem Scipio. Quocirca, inquit, vbi non est vera Iustitia, juris consensu societas hominum cætus esse non potest, & ideo nec populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, qua populi nomine digna non est.*

Non defenduntur muris, nec mœnibus Urbes,

Si leges tollas mœnia cuncta ruunt.

Regna sine *Iustitia* magna latrocinia. Ideoque laus *Pop. Rom.*

Iustitiâq; dedit gentes frenare superbas.

CAPVT IV.

Qui iudices esse prohibeantur?

Omnes igitur *Procul profani sint, procul improbi.* Sanctitas *Iustitiæ*, sanctitas mysterij eos respuit, singulatimque aliquibus regno suo *Altræa* interdixit. Si quidem *Iudices* dari possunt qui lege, naturâ, aut moribus non prohibentur. Naturâ, ut *furdus*, *mutus*, & perpetuò *furiosus*, & *impubes*; quia iudicio carent. Lege impeditur,